

suis assertionibus nimium transilire. Apud te enim nobilissime vir eligo quam apud dum perennis reatus culpas incurrire. Pascenius vir clarissimus respondit: Scripta quae posui, non sunt quidem in lege, sed debere propter honorem patris astrui recte defenduntur. Laurentius vir clarissimus dixit: Sic ergo & homusion quod in dubium ueniebat te proponete, & si scriptum non est, res ipsa tamen quae latet in uerbo, uera est. Credatur honorifice unitati, ne fiat iniuria trinitati.

Augustinus Probae & Julianae nobilibus uiduis gratulatur de Demetriade, quae virginitatis uelum acceperat, ages gratias pro munusculo misso. Ep. CLXXXIX

DOMINARVM honore dignissimis, merito illustribus & præstantissimis filiis Probae & Julianae, Augustinus in domino salutem. Impletis gaudioribus nostrum, tanto iocundius quanto charius, tanto gratius quanto citius. Vestræ nanque stirpis sanctimoniam uirginalem, quoniam quacunque innocentis, ac per hoc ubique fama celeberrima prædicat, uelocissimum uolatum eius fidelior atque certiore litterarum nuncio præuenistis, & prius nos fecistis exultare de cognito tam excellenti bono quam dubitare de auditu. Quis uerbis explicet? quis digno præconio prosequatur, quantum incomparabiliter gloriostius atque fructuosius habeat ex uestro sanguine forminas uirgines Christus, quam uiros consules mundus? Nam uolumina temporum, si magnum atque præclarum est nominis dignitate signare, quanto est maius atque præclarus cor dis & corporis integritate transcendere? Magis itaque gaudeat puella nobilis genere, nobilio sanctitate, quod sit per diuinum consortium præcipuum in coelis consecutura sublimatem, quam si esset per humanum connubium prolem propagatura sublimem. Generosus quippe elegit Aniciana posteritas tam illustrem familiam beare nuptias nesciendo, quam multiplicare pariendo, & in carne iam imitari uitam angelorum, quam ex carne adhuc numerum augere mortalium. Hæc est uberior fecundiorque felicitas, non uentre grauescere, sed mente grandescere: non lactescere pectore, sed corde candescere: non uisceribus terram, sed celum orationibus parturire. Dominarum honore dignissimæ filiae, perfruamini in illa quod defuit uobis, perseveret usque in finem, adhaerens coniugio quod non habet finem. Imitentur eam multæ familiæ dominam, ignobiles nobilem, fragiliter excelsæ excelsius humilem, uirgines quae sibi optant Aniciorum claritatè, eligant sanctitatem. Illud enim quantumlibet cupiditate quando assequentur? Hoc autem si plene cupierint, mox habebunt. Protegat uos incolumes & feliores dextera altissimi, dominae honore dignissimæ & præstantissimæ filiae: pignora sanctitatis uestræ, præcipue ipsam sanctitatem præcipuum debitum stris meritis officio dilectione domini salutamus. Vocationis apophoretum gratissimum ceperimus.

Augustinus Honorato episcopo, distinctius explicat, quibus, quādo, & quomodo fugiendum, immīnente periculo. Epistola CLXXXIX

ANCTO fratri & coepiscopo Honorato, Augustinus in domino salutem. Charitati tuae misso exemplo epistolæ, quam fratri Quod uult deo nostro coepiscopo scripsi, putabam me hoc onere caruisse, quod mihi imposuisti, querendo cōsilium quid in his periculis, quae tempora nostra inuenerunt, facere debatis. Quamvis enim epistolam illam breuiter scripserim, nihil me tamen prætermissee arbitror, quod & respondentib[us] dicere, & quærerent audire sufficeret: quandoquidē dixi, nec eos esse prohibendos, qui ad loca, si possunt, munita migrare desiderat, & ministerij nostri uincula, quibus nos Christi charitas alligauit, ne deseramus ecclesias quibus seruire debemus, non esse rumpēda. Ista quippe uerba sunt quae in illa epistola posui. Restat ergo, inquam, ut nos, quorum ministerium quantulæcumque plebi dei ubi sumus manenti, ita necessarium est ut sine hoc eam non oporteat remanere, dicamus domino: Esto nobis in deum protectorem & in

Psalm. 30